



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Veronensi Presbytero Capellano sancti Michaëlis de Trovald.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

quiescat, quæ aures resperferat populares. Quia vero dilapidationis vitium, propter enorme damnum Ecclesiae, remanere nolumus indiscutibilem; per apostolica vobis scripta mandamus quatenus appellatione remora inquiratis super eo diligentissime veritatem; & quod in veneritis, vestris nobis litteris intimetis: ut per inquisitionem vestram sufficienter instruti, melius procedere valeamus. Datum ut supra.

*ANDREÆ ACHERVNTINO  
Archidiacono.*

Epi. 157.  
Ipsi archidiaconatum cum omni jure tri-  
but.

**S**Acrosancta Romana Ecclesia &c. usque ad verbum suscipimus. Specialiter autem archidiaconatum Acheruntinæ Ecclesiae, cum omni jure, libertate, ac dignitate, qua ipsum prædecessores tui haec tenus habuisse noscuntur, sicut illum justè possides & quietè, devotioni tuae auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. protectionis & confirmationis &c. Datum Laterani.

*VERONENSI PRESBYTERO  
Capellano sancti Michaëlis de Trovald.*

Epi. 158.  
Ecclesiæ S.  
Michaëlis re-  
cepit sub protec-  
tione aposto-  
lia.

**E**X parte tua & nobilium virorum Opithingorum & Cadulingorum patronorum Ecclesiae sancti Michaëlis de Travald fuit à nobis precum instantia postulatum ut Ecclesiam ipsam, quam Ecclesia Romana censualem facere volebatis, sub protectione apostolicæ sedis & nostra recipere deberemus. Nos igitur tuis & præmissorum nobilium precibus inclinati, eandem Ecclesiam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad indicium autem hujus ab apostolica sede protectionis obtentæ, Bizantius unus nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetur. Decernimus ergo &c. protectionis &c. Datum Laterani II. Kal. Augusti.

*S V F F R A G A N E I S  
Acheruntinæ Ecclesie.*

Epi. 159.  
Quod ipsorum  
Archiepisco-  
pus brevi ad ip-  
sum si venerans,  
enī Pontifex il-  
libenter cum  
dimitit.

**Q**VANTUM honoris & gratiæ vobis in consecratione venerabilis fratris nostri R. Acheruntini Archiepiscopi, & in concessione Pallei facta eidem, duxerimus exhibendum, vestra, sicut credimus, fraternitas satis intelligit per seipsum. Non enim in hoc vel utilitatem nostram, vel ipsius Archiepiscopi com-

modum, sed necessitatem Ecclesiae vestrae duximus potius attendendam, cum non modicum obsequiis nostris ex eius absentia, si ad vos accesserit, subtrahatur, & ipse, licet promotus videatur in ordine, in eo tamē intelligitur minoratus, quod à latere matris, circa quam longo tempore laudabiliter deservivit, ad filia transfertur amplexus: in qua et si solitudinem exercere debeat pastoralē, non tamē minus ei oneris ex hoc proveniet quam honoris. Intelligentes autem necessitatem Ecclesiae Acheruntinæ, quæ communī cum vicinis Ecclesiis gravatur excidio, & bona memoria, quondam Archiepiscopi Acheruntini exilium sola deplorat, redacta in solitudinem, & in diminutionē conversa, quæ prius commissos sibi populos tam verbo quam exemplo muniebat pariter & monebat, inter ejusdem regionis Ecclesiis inclita quodammodo & præcelens, cum non invenisset consolatorem ex omnibus caris suis, dictum Archiepiscopum, probatum vita, litteratura pollementem, honestate præclarum, potentem in opere & sermone, regimini ejus duximus deputandum, subtrahentes non modicum commoditatibus nostris ut ipsius Ecclesiae possemus necessitatibus subvenire, ac sperantes quod per salubrem doctrinam ipsius sic in spiritualibus proficiat institutis quod in temporibus etiam per accuratam ejus solitudinem con valeat. Gratis igitur & humiliter factam vobis gratiam attendentates, ne videamini exhibitæ vobis benignitatis ingratii, fraternitati vestra per apostolica scripta mandamus atque precipimus quatenus ad eum, sicut patrem & pastorem vestrum, pium geratis devotionis respectum; & licet propter inclemenciam aeris & tempus impacatum obsequiis nostris detentus, nondum ad gerendam ejusdem Ecclesiae solitudinem, ob difficultatem itineris & viarum discrimina fuerit subire permisus, nihilominus tamen procuratorem & officiales ipsius sicut ipsum recipere, ac de universis justitiis eius ipsi curetis plenariè respondere, quoniam auctore Domino vos in proximo visitabit. Sicut enim gratum habebimus, si ei curaveritis in omnibus humiliter & devore deferre, sic non poterimus æquanimiter sustinere, si inobedientes ei fueritis & rebelles. Datum ut supra.

Kkk ij